

*Guglielmo Ruffo e la moglie Caterina
fanno trascrivere e autenticare
un privilegio di Re Roberto*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo e la moglie Caterina
fanno trascrivere e autenticare
un privilegio di Re Roberto*

1326-10-29

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo sexto. Die vigesimo nono mensis octobris decime inditionis apud Giracium. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Ruperto Dei gratia Inclito Ierusalem et Sicilie Rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno octavo decimo feliciter amen.

Nos Fulco Luciferus iudex civitatis Giracii, Nicolaus de Sancto Paulo publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie ordinatus, et testes infrascripti ad hoc vocati, et specialiter rogati, presenti publico instrumento notum facimus, et testamur. Quod nobilis mulier Domina Catharina de Alemania consors viri nobilis Domini Guglielmi Ruffi de Sinopolo Ducalis Cambellani, et familiaris faciens nos ad suam presentiam accersiri, ostendit nobis, nomine et pro parte sua, et dicti Domini Guglielmi viri sui, quoddam privilegium munitum sigillo pendenti Ducali de cera rubea, et rogavit nos, nomine et pro parte sua, et dicti Domini Guglielmi, nostrum super hoc, officium implorando, ut cum oporteat ipsum transumptum ipsius privilegium, transmittere ad Ducale excellentiam, ut de originali ipsius privilegii eidem Ducali Excellentie, possit facere plenam fidem, ne immittendo ipsum originale, possit sinistrum aliquod casualiter evenire. Ipsum originale privilegium transcribi et in formam publicam redigi faceremus. Nos autem ipsius Domine Catharine petitioni ut pote, iuste et consone rationi annuentes, et quiam sua interesse, vidimus privilegium ipsum esse in prima figura sua, non abrasum, non abolitum, non cancellatum, nec in aliqua parte sui fore vitiatum sed sigillatum, noto et

consueto sigillo Ducali. Ipsum originale privilegium nostra iudiciali authoritate anteposita, qui supra iudicis de verbo ad verbum exemplari, et in publicam formam redigi fecimus per manus mei predicti notarii, nihil in eo addito, mutato, vel diminuto, quod sensum immutet, vel intellectum, nisi forte littera, vel syllaba, que sensum immutare non potest cuius privilegii tenor per omnia talis est.

In cuius res testimonium et dictorum Domini Guglielmi, et Domine Catharine iugalium cauthelam, et ut de predicto originali privilegio fides plenaria valeat apud omnes, factum est exinde presens publicum instrumento scriptum, et subscriptum per me notarium eundem, signo meo solito signatum, nostrum qui supra iudiciis, et testimonium subscriptorum signis, et subscriptionibus roboratum per actum anno, die, mense, loco, et inditione premissis. † Ego Fulco Luciferus qui supra iudex Civitatis Giracii testor. † Ego Petrus de Sancto Paulo testor. † Ego Thomasius de Sylvestro testor. † Ego Thomasius Luciferus testor. † Ego Guglielmus de Papia testor. † Ego Petrus de Stilo testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo regius publicus quo supra notarius predicta scripsi et me subscripsi.